

P R O P E M P T I C A

Reuerendo & doctifs. viro,

M. ZACHARIÆ  
POSSELTO SITTAVIENSI,  
Lipsia in patriam ad gubernacu-  
la Ecclesiæ Hirsfeldensis  
proficiscenti,

ANNO CHRISTI

---

M. D. XCIII.

*Mense Septembri,*

A B

AMICIS & COLLEGIS  
SCRIPTA.



L I P S I Æ

IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

ANNO 1784  
M. A. C. H. A. L. E.  
P. O. S. S. E. T. O. S. T. I. T. A. V. I. S. S. I.

A. N. O. C. H. I. S. S. A.

M. D. A. C. H. E.

U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. C. A.

M. I. C. H. A. E. L. E. S. C. H. E. R. I. C. H. S.



M. I. C. H. A. E. L. E. S. C. H. E. R. I. C. H. S.  
I. M. P. R. I. M. I. T. A. T. I. O. N. E.



*Ad Reuerendum virum,*

M. ZACHARIAM

POSSELTVM,

Lipsia abeuntem,

O D E.

**S**ortes in DOMINI manu tuæ sunt,  
POSSELTE, is posuit modū tuarū  
Rerum: solliciti quid ergo, mundum  
Dum ingratum incolimus, sumus miselli?  
Sumus cura DEI: ille nos fouebit.

Quis te ZACHARIA his remotū ab oris,  
Præconem in patria DEI futurum  
Putasset? Voluit DEVS: volente  
Illo, vanulo homo resistit ausu.

Ergo vade auibus bonis, paterno  
Expectate solo, DEI sacerdos.


Summo sacra chelys tibi IEHOVÆ  
Sit, summo cane Filium IEHOVÆ,

A 2

Et ri-

Et riuos Sapientiæ perennis  
Commisso populo tibi reclude,  
Lucerna, face, præeunte, verbi:  
Nam fortes D O M I N I in manu tuæ sunt.

*Joachimi Tanckij Philos.  
& Med. D. & Profess. Poët.  
atq; Acad. Lips. Rectoris.*



Τίμιον εἶ ἐστὶν παῦν σπάνιον, ὡς φασι, καὶ σὺ  
Ζαχαρία μοι ἔση τίμιος ἔξ ἑταῶν,  
Νῦν καὶ ἀπερχομένοιο φίλω εἰς πατρίδα, λήθης  
Κὰν πῶσιν πῶσω, μήποτε λήσομ' ἐγώ.

*M. Wolfgangus Corvinus,  
Collegij Philosoph. Decanus F.*



Condi-

**C**onditio nostri quàm sit miserabilis aui,  
Quamq̃ per incertas nos sors rotet inuida sedes,  
Cura gregis Superi quibus est commissa Tonantis,  
Quisq̃ sua statione gemens deprendit, & inter  
Plurima commissum tractat suspiria munus:

**N**am velut equoreas mercator classibus undas  
Ingrediens, mercesq̃ mari terraq̃ requirens,  
Cogitur incertis committere vela procellis,  
Et varios Pelagi prius exantlare labores,  
Quàm subeat letum felici remige portum,  
Mercibus & partis iucunda mente fruatur.

**S**ic hominis vita est diuina addicta Cathedra:

Quisquis enim Cymba **C**H R I S T I retinacula seruat,  
Et vasti maris equor arat, vel mille procellis  
Obiicitur, vel eum contra fremit orbis & orcus.

**N**ec tamen idcirco spes abiicienda, parumper  
Sed subsistendum, placidè & mora parua ferenda est.  
Quippe suos **D**O M I N U S, cui nostra altaria cura,  
Deseruisse nequit, sed optima sorte coronat,  
Puppibus in portum felici remige ductis.

**H**as **P**O S S E L T E vices expertus ad ardua, fausto  
Numinis auspicio, reuocaris munia Templi,  
Dum curis **H**I R S F E L D A tuis commissa, paterni  
Participem reddit fundi, gremioq̃ reponit.

**I** pede felici, & Spartam, quam nactus es, orna,  
Commissumq̃ gregem doctrina pasce salubri.  
Imprimis obsiste lupis, qui fauce rapaci  
Insidias meditantur oui, patrieq̃ nociuam  
Dant cladem, sua dum pro melle venena propinant:  
Hosce fuge, atq̃ fuga sanctis ab ouilibus arce,  
Ne tenero pecori noceant, vel septa profanent.

*Sic celebris fama decus immortale capesses,  
Aeternaq; tibi contingent pramia vita.*

M. Georgius VVeinrich,  
Pastor Eccles. Lipsicæ.

~~~~~  
**V** *Iuere quid? nihil, incerta nisi sede vagari,  
Firma loco stabili res ubi nulla manet:  
Et fortuna vices labentes mutat in horas,  
Ceu vario vultu luna corusca micat.  
Iam nos fata vocant obeunda ad munera rerū,  
Iam reuocant: Tollunt: rursus ad ima pre-  
Quis felix adeò, sibi qui promittere fixū, (munt.  
Nocturnas tenebras ausit ad usq; , diem?  
Hac dū vita manet (nec enim meliora sequentur  
Tempora) nos magno pectore ferre decet.  
Donec, ubi Lachesis ressecabit fila, solutus  
Corporis è vinculis spiritus astra petet.  
Errorum tunc finis erit, finisq; laborum,  
Nec fors nos ludo ludet, ut antè, suo.  
Talia tecum animo credo, P O S S E L T E, reuol-  
Solamen curis subijcis atq; tuis, (uis,  
Dum patriam repetens L I P S E N S I cedis ab  
Præbuit hospitium quæ tibi mite diu. (urbe,  
Arti-*

A. tibus excultum te nostra Academia doctis,  
Supremi cupiens auxit honore gradus.  
Muneribus, res quando tulit, praefecit honestis,  
Usa labore tuo sapius, usa fide.  
Pieridum lustrans hortos studiosa iuventus,  
Artibus ingenuis te duce culta fuit.  
Moribus innocuus vixti, nulliq; molestus,  
Virtus & pietas est tua nota satis.  
Utiliter sancti sparsisti dogmata verbi,  
E cœli CHRISTVS quod tulit arce Deus.  
Nunc ad idem qui te plena vocat aede docendū,  
Patria quâ solers rura colonus arat.  
Vade age, propitio proficiscere numine; Christus  
Se comitem tuta praestet ubiq; via.  
Et per te multum capiens Ecclesia fructus,  
Gaudeat, hoc fuerit naeta quod ipsa decus.  
Hæc etiam propero calamo quæ carmina fudi,  
Haud asper nostri pignus amoris habe.


M. Ioh. Albinus.



Lipſia

L I P S I A abire paras , patriaſq; accedere ſedes,  
Et ſacra commiſſi munia obire gregis.  
Quàm benè ! procedas felix : Ô C H R I S T E tuere  
P O S S E L T V M , & ſtabili da reſidere loco.  
Dexter ades , ſanctoq; viri rege Numine cœpta,  
Ut tua cum multo fœnore verba ſonet.  
Viue : vale : & calui fuge dogmata calua manipli :  
Tutius eſt , C H R I S T O credere : viue , vale.

*M. Andreas Schneider  
Lipſienſis, ad D. Thom.  
Diaconus.*



C O nſilijs mirus D E V S eſt : hinc ſæpe nocenti  
Parcit , & innocuum fors inimica ferit.  
Non Caluinicola es , tetri ſed dogmatis oſor,  
P O S S E L T E : eſt vita, eſt mens quoq; ſancta tibi.  
Lipſenſem iuſſus linquis tamen ecce cathedram :  
Non tibi, non alijs cognita cauſa ſatis.  
Iam patria eſt, quæ te poſcit , fors fructus in illa  
Vberior : plus & fors ibi meſſor ages.  
I, tua quò patria, & quò te D E V S ipſe ſequentem  
Ire iubet , patriæ grata fac, atque D E O.

*M. Cornelius Becker,  
Lipſiæ ad D. Nicol.  
Verbi Miniſter.*

In pa-


**I**N patriã quia clare paras **POSSELT**E reuerti,  
Voce Magistratus te reuocante **DEO**:  
Ut, quæ cæpisti Philyraa tradere in urbe,  
In patria doceas dogmata sancta **DEI**:  
Comprecor ut tibi sit suscepta profectio felix:  
Et quod agis, totum conuenienter eat.  
Ad uerbi qui te uocat inclyta munia **CHRISTVS**,  
Ipse tuæ esse uelit duxq; comesq; via.  
Ut saluus possis natalia cernere rura,  
Ac letus patriæ limen adire domus:  
Officium inde, tibi quod cælo obuenit ab alto,  
Expeditas iusta sedulitate tuum:  
Ac tibi commissum, curaq; fideq; paterna  
Voce **DEI** pascas omnipotente gregem.  
Unde frequens, puro sacri de semine uerbi,  
Succrescat summo plantula grata Patri.  
Quæ **CHRISTVM** timeat, super omnia diligat  
Atq; sit in laudes officiosa **DEI**, (unum:  
Donec ab his terris cælis illata serenis,  
Illic perpetuo tempora pacis agat.  
**CHRISTE** tui uerbi multos emitte ministros:  
Qui doceant summa cœlica scripta fide.  
Semper ut hoc superet florens Ecclesia mundo:

**B**

Donec

Donec ad aduentus iudicijꝫ diem.  
Hoc discessuro tibi, vir doctissime, carmen  
Quod tenui lusit nostra Thalia stylo:  
Hinc tibi quò veteris pateant vestigia amoris,  
Signaq; sint fidei non inaperta mea:  
Consule quaso boni: nostri quoq; fœdus amoris  
Ad cunctos stabili mente tuere dies.  
De me ne dubita: mea dum calor ossa fouebit,  
Haud tibi promissam dissimulabo fidem.

M. Nicolaus Liscia  
Olmucensis Morauus.



**O**RBA oculis certè Fortuna est: cœca nocentes  
Nam fouet, innocuos cœca subinde premit.  
Te quoq;, dum CHRISTI regno, POSSELTE, ministras,  
Corripuit cœcæ vis ea cœca deæ:  
Corripuit, presit: verùm haud oppressit: Ademit  
Non nil, at demtum quod tibi rebar, habes.  
Quippe quod inuidit fors mobilis, id tibi largè  
Dextera propitij numinis alma dedit.  
Tantum est, nempe, DEO si nôris fidere. cœcam  
Vt sortem spernas, fidere disce DEO.

M. Iohan. Fridericus  
V Volfeshusius.

IN

**I**N patriam verbi praeo **P O S S E L T E** vocaris:

*In patriam felix ergò precamur iter.*

*Lipsiacam doctor poteras ornare cathedram,*

*Sors tamen invidit non satis aqua locum.*


*Omnia (non nescis) C H R I S T O* Rectore geruntur:

*In magnum cedent hoc duce gesta bonum.*

*Sit felix iter, & stabilem det patria sedem,*

*Gratior incolumem te foueatq; locus.*

M. Vincentius Schmuck,  
Diaconus ad D. Ni-  
col. Lipsiæ.



**A**N G E L I adeste viro Silesia tecta petenti,

*Quòq; pedes gestit ferre, parate viam.*

Ducite **P O S S E L T V M** patriæ telluris in oram,

*Ducite, vt hoc felix sit, quod is vrget iter.*

*Aspera, quò properat, loca sunt: sunt furibus apta:*

*Anfractus plures femita nulla tenet:*

*Non hic, vt latro vel raptor iniquus, oberrat;*

*Quæq; gerit, nullis arma timenda gerit:*

*Quod molitur iter, iusta ratione mouetur:*

*Iussus Christicolùm pabula ferre gregi.*

*Vos voco: sed quid ago votis onerare? Vocata*

*Ecce suam spondent Numina diâ fidem:*

*Signa ferunt: cælum, felici fidere cœlum,*

*Splendet: sic faustum, sic fore cernis iter.*

*Suscipe, quod meditaris iter, sub patria rura:*

*Nec quicquam veritus tristia fata viæ,*

*Vade bonis auibus: quò te trahit ardua cura:*

*Mitia sunt pedibus compita quæq; tuis.*


B 2

Nunc

Nunc viuas , valeas , doceas : connubia iungas :  
Sic cœlum plantas : sic tibi fausta creas.  
At tu dum gressus patriæ moliris in oram,  
Natalique moram sede receptus agis :  
Illa fides candorque tui succurrat amici,  
Quem non immemorem lux feret vlla tui.

*M. David Büthner*

*Mitveidensis , Dia-  
conus ad D. Thom. Lips.*




*S*ic tandem tibi contigit petitus  
Fatis candidioribus recessus,  
O' POSSELTE. Quid ergò nos amici?  
Gratemur tibi, qui benignitate  
Diuina patriæ tuæ Minister  
Non obtrusus, at ultrò es appetitus.  
O' Diuine vocationis ordo,  
Miris omnia pro modis gubernans.  
Hanc ergò tibi nullus inuidendo  
Sortem deneget. Est cur esse dignus  
Hac tandem statione tu voceris.  
Multis iam sat es, & scholæ probatus  
Illustri, documenta tot relinquens

*Doctri-*

Doctrina, pietatis atq; sancta.  
His armis patria vicem rependas  
Verbi dogmata sacra predicandi  
Magna strenuitate propagando.  
Hæc est optima gratitudo, tandem  
Quam tellus patriæ, & DEVS reposcunt.  
Sic fatis abeas amice faustis,  
Et nostri memor optimè valetō.

M. Ambrosius Barden-  
stein Annæbergensis.



PVLCA rosam coniunx folijs Tithonia cernit  
Floriferis Pæsti luxuriare iugis;  
Quæ Phæbo summum scandente cacumen Olympi,  
Ægrum demittit languida facta caput.  
Et confecta grauem senio trahit ante ruinam,  
Quam nox lucifugis æthera scandit equis.  
Fallor? an hæc hominis tangit mutatio vitam,  
Quæ veniente rosam vespere fecit anum?  
Non fallor: siquidem post florem vita senectam  
Sentit, & interitum mox peritura suum.  
Ac licet illa breuis nec non fugitiua feratur:  
Attamen in varijs est peragenda locis.  
Nec cunas eadem tellus tumulumq; ministrat  
Omnibus: immiscet fors malesuada vices.

B 3

Hic

Hic prope spumiferam tendit puer Albidos undam,  
 Mox Rhenum iuuenis Danubiumq; bibit.  
 Atque Lycaonio longè lateq; sub astro  
 Viuit, & externo cogitur orbe mori.  
 Ille per Ausoniam iuuenilibus errat in annis:  
 At gelido senior fata sub axe subit.  
 Sic peregrinamur fungentes munere, Numen  
 Quod praelustre Dei nos subiisse iubet.  
 Nec sors vsque fauet, lacrymis sed lata rependit,  
 Ausa suo nostrum calce ferire caput.  
 Testis Thariades, qui fata secutus ab oris  
 Chaldaeis forti plurima mente tulit.  
 Testis Thariade natus, quem dextra parentis  
 Audebat structis imposuisse iugis.  
 Testis Thariade minor: iracundia fratris  
 Quem patria pepulit deregione nepos.  
 Nec dubito, quin has animo POSSELTE volutes,  
 Est humana quibus vita terenda, vices.  
 Dum sors turrigeris Philyrae mænibus urbis  
 Amplius includi te, velut ante, vetat.  
 Nec procul à patrijs oris, quia rite vocatus,  
 Officio fungi non sine laude iubet.  
 Est aliquid nitidam Sophiae per lampada densis  
 Gnauiter è tenebris exeruisse caput.  
 Et placuisse viris, quorum Respublica curis  
 Nixa, bonum potis est obtinuisse statum.  
 Ergo venturis te non POSSELTE diebus  
 Ad Plisnae videam prætereuntis aquas.  
 Mens tamen vsque tui constans mea seruet amorem:  
 Sitq; meo nomen semper in ore tuum.  
 Sive soporiferis terram nox obruet umbris:  
 Seu Sol Eoâ luce reuifet humum:

Cogno-

Cognoscenda mihi tamen officiosa voluntas,  
Qua mihi tot dederis signa fauoris, eris.  
Ipse Medusei iuro per pocula fontis,  
Usque tui fiat mentio propter aquas.  
Propter aquas Plisnae, multos ubi grata per annos  
Musa tibi plenum pangat honore melos.  
Hic annosa meum testabitur arbor amorem,  
Hac cuius cortex verba legenda gerat:  
Trans liquidas vitam feliciter Albidos undas  
POSSELTUS, nunquam sorte tonante, trahat.  
Gratulor ex animo, tibi gratulor, opto secundo  
Ut te pastorem sidere fata regant.  
Vade (nec inuideo) patrijs dignissime templis,  
Res nec iniqua tuum rumpat euntis iter.  
Nestora viuendo, viuendo vince Sibyllam,  
Proponens populo dogmata pura DEI.  
Fac quoque venturos fueris quocumque per annos,  
Richteris maneat fautor amansque tui.

M. Iohannes Richter  
Königsteinensis.

F I N I S.







